



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio XV. Resolvuntur aliquot difficultates circa Sacramentorum reviviscentiam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

pitur, perficitur verè, & homini etiam fictè suscipienti applicatur, licet absque effectu propter fictionem, quâ postea sublata, datur effectus Sacramenti prius applicati: at verò indulgentia re verà in se non perficitur, neque applicatur homini, quandiu est fictio: tum quia conditio ad illam requisita non est impleta: tum etiam quia non est facta applicatio thesauri, donec habeatur contritio, juxta formam concessionis. Undè si in ipsa concessionem nulla fiat mentio contritionis, aut status gratiæ, ut sæpè contingit, sed simpliciter dicatur: *Recitans hoc, aut illud, talem indulgentiam consequatur*: si statim illam non consequitur propter fictionem, nunquam postea illam recuperabit, etiam recedente fictione; siquidem forma concessionis ad hoc non extenditur, & applicatio thesauri impedita fuit pro eo tempore, pro quo facienda esset ex intentione concedentis, ideoque non est ulla ratio, cur postea redeat.

## SECTIO XV.

### *Resolvuntur aliquot difficultates circa Sacramentorum reviviscenciam.*

**341.** **D**IFFICULTAS I. Qualisnam dispositio requiratur ad tollendum obicem impediens effectum Sacramenti fictè suscepti? Advertes primò, duplicem obicem posse Sacramento opponi, cujus ratione impediatur Sacramenti effectus: Primus est positivus, & culpabilis, ut cum quis Sacramentum suscipit cum affectu peccandi, aut formali, nempe cum actuali proposito furandi: aut virtuali, ut si advertens accedat sine sufficienti dolore peccatorum. Secundus est negativus, & inculpabilis, ut si quis Sacramentum suscipiat sine sufficienti dispositione ad gratiam consequendam, ex ignorantia tamen invincibili, & inculpabili.

**342.** Advertes secundò, priorem obicem positivum, aut esse tantum concomitantem, aut etiam subsequentem Sacramentum, ut si quis post indignam illius susceptionem alia etiam peccata de novo committat. Advertes tertio, questionem in presenti esse: Utrum ad tollendum obicem, sive positivum, sive negativum, sive concomitantem, sive subsequentem, ut, eo sublato, Sacramentum conferat gratiam, requiratur contritio; an sufficiat sola attritio? De hac questione jam aliquid supra, cum egerimus de Baptismi reviviscencia; de illa tamen hic iterum aliqua specialiter tractanda, prout etiam ad cætera Sacramenta extendi possunt, quæ etiam diximus reviviscere, recedente fictione. Igitur.

**343.** Dico I. Qui ex ignorantia inculpabili posuit obicem suscepto Sacramento, & post illud graviter non peccavit, sufficit sola attritio perfecta, quæ ad omnia mortalia se extendat, ad removendum obicem, & effectum Sacramenti suscepti obtinendum. Ita Palud. in 4. dist. 4. q. 5. Durand. q. 4. Victor. n. 23. de Baptismo. Numez q. 69. art. 10. dub. 3. P. Henric. lib. 1. cap. 27. n. 3. P. Soar. tom. 3. in 3. p. d. 28. sect. 5. P. Tanner. tom. 4. d. 4. q. 3. dub. 2. n. 72. P. Valent. quest. 4. punct. 2. P. Aegid. 3. p. q. 62. art. 1. dub. 6. num. 92. P. Amicus tom. 7. d. 4. n. 165. P. Lugo d. 9. de Sacram. sect. 4. n. 52. P. Arriaga tom. 7. d. 15. sect. 3. n. 25. & alii.

**344.** Probatur primò, quia ea dispositio sufficit, ut præteritum Sacramentum suum effectum operetur;

quæ sufficeret, ut cum illa Sacramentum præsens eundem effectum operaretur; siquidem tota ratio, ob quam suum effectum non præstitit, fuit defectus dispositionis; sed ad illam præstandum, cum esset Sacramentum præsens, sufficeret hujusmodi attritio; ergo eadem sufficit postea, ut eâ posita, suum præstet effectum Sacramentum præteritum; cum nullum novum peccati impedimentum sit appositum. Confirmatur, quia sufficit attritio tempore præcedens, ut Sacramentum postea suum effectum conferat; ergo etiam sufficit attritio tempore subsequens, ut Sacramentum postea suum præstet effectum; siquidem est eadem ratio.

Probatur secundò, quia peccata ante susceptionem Sacramenti commissa, non habent rationem obicis respectu ipsius Sacramenti, & illius effectus, nisi quandiu censentur moraliter voluntaria; sed tandiu talia censentur, quandiu à suscipiente non retractantur; accedente autem hujusmodi attritione, fit eorum retractatio; ergo nihil deest ad hoc, ut Sacramentum habeat suum effectum Confirmatur, quia omnia Sacramenta habent virtutem ad remittenda ex opere operato peccata antecedentia homini disposito per generalem, & veram attritionem; sed Sacramenta, quæ reviviscunt, conferunt etiam gratiam ex opere operato, & homo per hujusmodi attritionem est sufficienter dispositus; ergo illa posita remittuntur ei omnia peccata antecedentia.

**346.** Dico 2. Quando quis post Sacramentum fictè susceptum, peccavit mortaliter, non reviviscit tale Sacramentum ad suum effectum præstandum, nisi posita contritio perfecta, vel attritio cum alio Sacramento. Ita P. Valent. P. Soar. P. Tanner. P. Amicus. P. Lugo P. Arriaga cit. P. Vasq. 3. part. d. 160. num. 17. cum Richard. D. Bonav. Caiet. Sor. & aliis. Probatur, quia Sacramentum non potest præstare suum effectum, nisi in homine ad illum parato, & disposito; sed dispositio hæc in homine habente peccatum mortale, est sola contritio perfecta, vel attritio cum Sacramento; ergo quandiu homo non fuerit ita dispositus, non potest Sacramentum reviviscere ad suum effectum ei conferendum.

**347.** Oppones 1. Hoc peccatum potest remitti virtute Sacramenti præteriti, accedente attritione; ergo &c. Respondeo negando antecedens; Sacramenta enim non sunt instituta ad tollenda peccata futura, sed præterita: alioqui Baptismus se extendere ad remittenda peccata post ipsum commissa, quod est falsum, ut constat ex Trid. sess. 14. cap. 1. definiente, hujusmodi peccata subijci clavibus, cum sint peccata hominis insigniti Charactere baptismali, per quem fit subditus Ecclesiæ; sicque talia peccata non sunt materia Baptismi, sed Confessionis.

**348.** Instabis: Etiam peccata ante Baptismus commissa sunt extra sphaeram Pœnitentiæ; & tamen hæc ad illa indirectè se extendit; siquidem cum sola attritione non solum delet peccata post, sed etiam ante Baptismum commissa; nam fictè baptizatus, si dignè accedat ad Confessionem, consequitur veniam, non solum peccatorum post, sed etiam ante Baptismum commissorum; ergo &c. Respondeo negando minorem; neque enim peccata ante Baptismum commissa remittuntur virtute Pœnitentiæ, sed Baptismi, qui, sublato obice per Pœnitentiam, statim reviviscit, & omnia peccata ante ipsum commissa delet; sicut Pœnitentia delet omnia post ipsum commissa; sicque Pœnitentia solum tollit obicem, qualia sunt peccata commissa post Baptis-

Baptismum, & hic, sublato obice, delet omnia, quæ ante ipsum fuerant commissa, ut ea deleat, si à principio obicem non invenisset.

349. Oppones 2. Sequeretur ex hoc dimidiari veniam peccatorum; siquidem neutrum Sacramentum remitteret omnia peccata, sed alia ab uno, & alia ab altero remitterentur; sed hoc non est admitendum; ergo &c. Respondeo negando sequelam, ad cuius probationem dicimus, aliud esse, neutrum Sacramentum per se habere vim remittendi omnia peccata, quod est verissimum; siquidem quodlibet non ordinatur ad omnia illa peccata delenda: aliud posse in re haberi solam dimidiatam peccatorum remissionem, quod est falsum, & impossibile; siquidem implicat unum mortale remitti sine alio.

350. Undè in eo eventu, neque Baptismus potest delere peccata ante ipsum commissa, quin Pœnitentia deleat peccata Baptismum subsequuta; neque è contra: ita tamen, ut prius ratione conferatur gratia pœnitentialis, quam baptismalis; siquidem prius ratione intelligitur removeri obex, quam Baptismus operari; sed obex removetur per gratiam pœnitentialem; ergo hæc intelligitur prius ratione, quam baptismalis.

351. Dices: Non intelligitur subjectum capax gratiæ pœnitentialis, nisi prius sit regeneratum per gratiam baptismalem; ergo hæc confertur prius ratione, quam illa. Respondeo negando antecedens; sufficit enim, ut subjectum sit insignitum characterè baptismali, per quem sicut fit subditus Ecclesiæ, ita fit capax gratiæ Sacramentalis. Addo, licet gratia baptismalis sub respectu regenerationis, sit prior pœnitentialem; sub alio tamen respectu removentis obicem, priorem esse gratiam pœnitentialem.

352. Ex dictis colliges primò, ad removendum obicem Confessionis informis, semper sufficere attritionem, & nunquam requiri contritionem; siquidem contritio requiritur ad tollendum obicem culpabilem; sed hoc ipso, quod obex est culpabilis in hoc Sacramento, jam Confessio est nulla defectu doloris, qui est pars essentialiter constituens Sacramentum; hoc autem non potest dari sine sua essentiâ; ergo &c.

353. Colliges secundò, quando Baptismus, & Pœnitentia simul concurrunt ad remittenda peccata ante, & post Baptismum commissa, peccata ante Baptismum per ipsum remitti quoad totum reatum & culpæ, & pœnæ, quia Baptismus ad id habet virtutem, quam non habet Pœnitentia ad remittenda peccata commissa post Baptismum quoad totum reatum pœnæ. Undè non benè dicit *Gabr.* Baptismum recedente fictione, remittere peccata ante ipsum commissa, solum quoad pœnam, quoad culpam verò supponi remissa per contritionem tolerantem obicem: Non, inquam, benè; siquidem Baptismus simul cum contritione, vel cum Pœnitentiâ concurret ad gratiam remissivam omnium peccatorum; ita tamen, ut eadem, prout est remissiva peccatorum ante Baptismum, sit à Baptismo; & prout est remissiva peccatorum post Baptismum, sit à Pœnitentia, vel contritione sub diversa prioritate, vel posterioritate, ut supra diximus.

354. Colliges tertio, cum characterè baptismali informi non infundi charitatem; siquidem hæc inseparabiliter consequitur gratiam: infundi tamen fidem, & spem; siquidem fides, & spes non repugnant cum peccato fictionis, sed solum cum infidelitate, & desperatione. Et quoad fidem docet *Trid.*

*sess. 6. can. 28.* eadem autem est ratio de spe; ergo simul infundentur cum characterè, Confirmatur primò, quia baptizatus est verè fidelis; fit autem fidelis habitu fidei. Secundò, quia Sacramenta agunt ad instar causarum naturalium; hæc autem statim conferunt, quidquid possunt conferre.

355. Difficultas 2. & major est: qualisnam dispositio requiratur ad tollendum obicem appositum in ipsamet susceptione indigna Sacramenti? Diximus qualiter, sive per quam dispositionem debeat auferri obex, sive peccatum ante, & post Baptismum commissum, ut recedente fictione revivcat ad suum effectum conferendum: nunc difficultas est, qualiter, & per quam dispositionem auferri debeat obex, sive peccatum commissum in ipsamet susceptione Baptismi? Hæc autem quæstio potest excitari, aut de obice, quæ appositum ipsamet fictio, sive susceptio Sacramenti in se mortaliter, & sacrilegè peccaminosa, qualis est iniqua voluntas suscipiendi irreverenter Baptismum: aut de obice, quem appositum peccatum aliud disparatum commissum in eodem instanti, quo suscipitur Baptismus, ut si quis tunc haberet voluntatem furandi, occidendi, aut similem aliam mortaliter peccaminosam eliceret, quæ effectum Sacramenti impediret. Hoc posito.

356. Advertes fictionem illam, de qua excitari potest quæstio in primo sensu, posse dupliciter contingere: Primò, ita ut fuerit realiter in tempore, aut instanti ante susceptionem Baptismi: quando verò Baptismus suscipitur, jam omnino cessaverit, nec fuerit causa susceptionis fictæ, sed postea homo ex inadvertentia susceperit fictè Baptismum, id est, sine dolore requisito. Secundò, ita ut talis fictio duret in ipsa actuali susceptione Baptismi. Igitur:

357. Dico 1. Si fictio contingat primo modo, potest à solo ipso Baptismo cum attritione remitti, sicque ipsa recedente, Baptismus suum effectum præstare. Ita *P. Tanner. tom. 4. d. 4. q. 3. dub. 2. n. 81. P. Arriaga tom. 7. d. 15. sect. 3. num. 27. P. Egid. 3. p. q. 62. art. 1. dub. 6. num. 94. & alii.* Probat, quia si homo ille, quando accessit ad Baptismum, recordatus fuisset, se ante habuisse voluntatem fictè ipsam suscipiendi, non teneretur tunc, ut illum dignè reciperet, elicere contritionem de tali voluntate præcedente, sed tantum ad id sufficeret attritio cum ipso Sacramento Baptismi; ergo talis fictio, prout sic præcedens, cadit sub virtutem Baptismi; ergo posita postea solâ attritione cum ipso Sacramento Baptismi remittetur talis fictio, eaque recedente, Baptismus habebit suum effectum.

358. Dico 2. Si fictio contingat secundo modo, non potest ab ipso Baptismo cum sola attritione remitti, sed aut per contritionem perfectam, aut per attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ. Ita *D. Thom. 3. p. q. 69. art. 10. ad 2. P. Soar. tom. 3. in 3. p. d. 28. sect. 5. P. Egid. P. Tanner. P. Arriaga cit. & alii.* Probat, quia hoc peccatum fictionis commissum, & durans in instanti reali, in quo suscipitur Baptismus, non cadit sub virtutem remissivam ipsius Baptismi, utpotè quod sit ab homine jam subiecto clavibus Ecclesiæ; siquidem in instanti reali, in quo quis baptizatur, accipit characterem, & fit Christianus; consequenterque subiectus Ecclesiæ; ergo pertinet ad Sacramentum Pœnitentiæ, ad quod ex *Trid. sess. 14. cap. 2.* pertinent omnia peccata post Baptismum, sive ab homine baptizato commissa; ergo non poterit per solam attritionem simul cum Baptismo reviviscente postea remitti; sicut remitti non possunt alia peccata post ipsum Baptismum commissa.

359. Dicent primò, hoc peccatum fictionis non esse posterius Baptismo; peccata autem, quæ non subsequuntur Baptismo, per ipsum remittuntur; ergo huiusmodi peccatum videtur esse per se remissibile per Baptismum; ac proinde postea solâ attritione simul cum aliis præcedentibus per ipsum Baptismum reviviscens remittetur. Sed contra, quia licet huiusmodi peccatum fictionis non sit posterius, non tamè est prius Baptismo, sed simul cum illo in eodem instanti reali, ut supponimus; peccata autem huiusmodi sunt peccata hominis jam subiecti Ecclesiæ, quæ non per Baptismum, sed per Pœnitentiam remittuntur, ut diximus.

360. Dicent secundò, voluntatem suscipiendi fictè Baptismû esse causam ipsius susceptionis Baptismi, & non è contra; ergo talis voluntas est prior naturâ ipso Baptismo, & hic posterior; sed Baptismus est ad remittenda omnia peccata, quæ ipsum præcedunt; ergo &c. Sed contra, quia datâ eâ prioritate naturæ, & rationis, quis dicet, Concil. Trid. cit. quando docet, peccata ante Baptismum commissa remitti per ipsum Baptismum, & peccata post ipsum commissa pertinere ad Pœnitentiam, loqui de hac prioritate & posterioritate rationis, de qua fortè Concilio nec in mentem venit; nec illi poterat constare, Christum in institutione huius Sacramenti de hac prioritate rationis fuisse sollicitum?

361. Dico 3. Idem, quod diximus de obice ipsius fictionis, dicendum etiam est de obice alterius peccati disparati commissi in eodem instanti, quo suscipitur Baptismus. Ita *Scot. in 4. dist. 6. quest. 7. art. ult. P. Agid. 3. part. quest. 62. dub. 6. num. 94. & 96. P. Arriaga tomo 7. d. 15. sect. 3. num. 28. Gabr. in 4. dist. 6. quest. 1. art. 3. dub. 3. & alii.* Probatur, quia huiusmodi peccatum jam est peccatum hominis baptizati, & subiecti Ecclesiæ per characterem; ergo est peccatum subijciendum clavibus, non tantum sub ratione fictionis, sed ut est in tali specie, nempe furti, aut odii; ergo non potest tolli per solum Baptismum adveniente postea attritione.

362. Confirmatur, quia tale peccatum ratione suæ malitiæ specificæ reddit indignâ, & sacrilegam susceptionem Baptismi, & ponit obicem ejus effectui; sicq; in illo potest distingui duplex malitia, altera in propria specie nempe furti; & altera sacrilegii, quatenus est causa indignæ susceptionis, & hæc posterior fundatur in priori, & ejus est circumstantia; sed huiusmodi peccatum sub una ratione judicatur ordine naturæ posterius characterem, sicq; subijciendum clavibus, & indigens contritione, aut attritione cum Sacramento; ergo idem dicendum est de illo sub utraque ratione.

363. Oppositum tenent *D. Thom. 3. part. q. 69. art. 2. ad 2.* quatenus universim docet, peccatum fictionis remitti per Pœnitentiam, cætera verò peccata, sive Baptismum præcedant, sive eum concomitentur, remitti per Baptismum, quo sensu eum intelligunt, & sequuntur *Cajet. Sor. & alii Thomistæ P. Soar. tom. 3. in 3. part. d. 28. sect. 5. §. Nihilominus, P. Vasq. d. 160. n. 18. P. Tanner. tomo 4. d. 4. q. 3. dub. 2. num. 81. & alii.* Et ratio eorum est, quia licet fictio per se & directè pugnet cum effectu Baptismi, & ei obicem ponat; non ita ei obicem ponit, neque eum eo directè, per se, & sua propria ratione pugnat quodcumque aliud peccatum disparatum, licet per accidens id faciat, sive per concomitantiam temporis; ergo licet peccatum ipsius fictionis non possit tolli, nisi per Pœnitentiam, cætera tamen disparata poterunt per ipsum Baptismum postea cum sola attritione tolli.

Sed contra primò, quia fictio non aliter pugnat cum effectu Baptismi, nisi quia durat in eodem instanti, quo Baptismus suscipitur, ut patet ex supra dictis; sed æquè hoc habent cætera peccata disparata, ut supponimus; ergo idem de illis, ac de fictione ipsa dicendum est. Secundò, quia si cætera peccata disparata non pugnent cum effectu Baptismi, in ipsa actuali susceptione Baptismi remitterentur; nam si non pugnat cum effectu Baptismi, causabitur tunc talis effectus; ergo produceret; ac proinde omnia peccata, quæ tunc fuerint, remitterentur; sed hoc implicat in terminis; nam si in eo instanti committitur, in eo existit; ergo non potest in eodem remitti; alioqui esset, & non esset in eodem instanti reali; ergo &c.

Dico 4. Siis, qui fictè Baptismum suscepit, postea confiteatur, sufficit illi attritio ad tollendum obicem, quamvis in ipsa fictione peccaverit, & post fictionem multa peccata commiserit. Ita *P. Soar. cit. Probatur, quia utrumque Sacramentum habet tunc dispositionem sibi proportionatâ ad effectum, qui potest sibi attribui, seu respondere; ergo utrumque delebit per se, & directè peccata, quæ sibi subijciuntur; ergo nihil jam tunc est, quod possit Baptismi effectum impedire. Confirmatur, quia in hoc eventu neq; peccata præcedentia, neq; subsequenteria Baptismum, possunt illius effectum impedire; non præcedentia, quia Baptismus potest illa delere, si non sit aliud impedimentum, quod tollitur, suppositâ attritione, ut supra diximus: non subsequenteria, quia adest Sacramentum Pœnitentiæ, quod, suppositâ attritione, potest omnia illa delere; ergo &c. Addit *P. Soar. cit.* hoc idem esse, si eum huiusmodi attritione conjungatur quodcumque aliud Sacramentum bona fide susceptum; si quidem, ut ipse supponit, quodlibet Sacramentum, bonâ fide intercedente, potest facere hominem ex attrito contritum.*

Ex dictis colliges primò, peccatum illud sacrilegii, non minus, quam ea, quæ post Baptismum commissa sunt, debere subijci clavibus Ecclesiæ; cum sit peccatum hominis baptizati; ac proinde licet per contritionem extra confessionem sit jam remissum, debet nihilominus suo tempore clavibus subijci. Ita *Scot. in 4. dist. 4. quest. 5. D. Thom. P. Soar. Cajet. Sor. P. Vasq. & cum illis P. Tanner. cit. n. 78. P. Agid. 3. p. q. 62. art. 1. dub. 6. n. 96. & alii.*

Colliges secundò, ipsa peccata Baptismum antecedentia, sine quorum videlicet pœnitentiâ, & dolore, homo indignè Baptismum suscepit, quæque adeò fuerunt causa talis fictionis, non esse materiam confessionis, & absolutionis, ut cum *D. Thom. tradunt Doctores cit. Addit P. Valent. ex Sor. cit. al-* quando per accidens in Confessione explicanda esse, si sint valdè enormia; non quidem ut materia necessaria absolutionis, sed ut malitia fictionis, ipsiusque sacrilegii melius cognoscatur: Quod non est improbabile, suppositâ sententiâ, quæ docet, etiam circumstantias notabiliter aggravandas intra eandem speciem necessariò explicandas esse in Confessione, ut tradunt *Alfiodor. Albert. Alex. Marsil. Major. Richard. Cajet. Vicior. Sor. Ledesm. Petr. Sor. Can. Sylvest. P. Henric. lib. 5. cap. 7. num. 7. P. Soar. tomo 4. in 3. part. d. 22. sect. 3. n. 5. & alii, quos citat, & sequitur P. Tanner. tomo 4. d. 6. q. 7. dub. 3. n. 53.*

## SECTIO XVI.

*Proponuntur alia difficultates, & resolvuntur.*

368. **D**IFFICULTAS I. Utrum quando auferatur obex Baptismi (idemque de obice aliorum Sacramentorum) per subsequenter contritionem, aut per attritionem cum alio Sacramento, gratia, quæ confertur, sit major, quàm quæ daretur soli contritioni, aut attritioni cum alio Sacramento? Affirmativè. Ita P. Henricus, lib. 2. cap. 27. num. 3. & 5. P. Soar, tomo 3. in 3. part. d. 28. sect. 4. §. Tertius igitur, & sect. 5. §. Res certè, P. Egid. 3. part. quæst. 62. art. 1. dub. 5. num. 73. P. Tanner. tomo 4. d. 4. quæst. 3. dub. 2. num. 70. P. Lugo d. 9. de Sacram. sect. 5. n. 63. P. Arriaga tomo 7. d. 15. sect. 1. num. 1. & alii. Probatur primò, quia D. Aug. lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 12. & lib. 3. cap. 13. & lib. 6. cap. 5. referturque in cap. Tunc valere, dist. 4. de Consecrat. & Author serm. de Passione apud D. Cyprian. si quid probant, utique probant, Baptismum præteritum recedente fictione, conducere, prodesse, & utilem postea esse ad remissionem peccatorum; sed non aliter conducit, prodest, est utilis, & remissionem peccatorum causat, nisi mediante gratiâ; ergo affert, & causat suam distinctam gratiam, quâ mediante tollat peccata.

369. Dicent ex testimoniis D. Aug. solùm colligi, dari quidem gratiam ratione Baptismi, recedente fictione, non tamen novam, aut majorem, quàm daretur ratione solius contritionis, aut attritionis cum alio Sacramento, sed eandem, quæ data fuisset soli contritioni, aut soli attritioni cum alio Sacramento, dari tunc duplici titulo, nempe propter contritionem, aut propter attritionem cum alio Sacramento, & simul propter Baptismum præteritum fictè susceptum, & jam non reviviscentem.

370. Sed contra primò, quia hoc non est juxta sincerum sensum verborum D. Aug. & aliorum Sanctorum Patrum; siquidem nihil utilitatis affert homini, quod gratia illi detur duplici titulo, si reverà plus gratiæ non habet. quod voluit D. Aug. lib. 6. cap. 5. cit. cum dixit, Sacramentum illud postea prodesse: Quia illud & in homine justo, & in homine injusto, semper sanctum est, quod neque aequitate alicujus augetur, neque iniquitate alicujus minuitur: minuere autem non parùm, si totus ejus fructus reduceretur ad novum titulum gratiæ, & non ad novam gratiam sibi propriam, ita ut homo ratione illius esset sanctior, quàm sine illâ; ergo &c.

371. Secundò est contra, quia quando Concilia, & Sancti Patres dicunt, Sacramenta nostra causare gratiam, omnes id intelligunt de aliqua gratia distincta ab illa, quam per bona opera haberemus, quin ullo modo admittatur explicatio illius, qui diceret eandem dari gratiam de facto, licet duplici titulo, nempe propter merita, & propter Sacramenta; siquidem hoc esset potiùs eludere, quàm tueri doctrinam Conciliorum, Sanctorum Patrum, & Sacramentorum dignitatem, ac efficaciam; ergo si conceditur ex D. Aug. Baptismum præteritum, recedente fictione, causare gratiam, id debet intelligi de gratia distincta, non verò de eadem duplici tantum titulo collatâ.

372. Tertio est contra, quia quando agitur de reviviscentia meritorum per Pœnitentiam, Theologi non agnoscant, verè reviviscere merita, si gratia

non sit major, sed solùm nova gratia Pœnitentiæ correspondens, detur etiã intuitu, seu titulo meritorum præcedentium, ut patet ex supra dictis d. 2. à num. 9. Similiter non admittunt pro remuneratione actuum remissorum illam, quam aliqui solùm volebant eis concedere, quatenus volebant, quod gratia correspondens actui intenso subsequenti, daretur etiã intuitu actuum remissorum præcedentium; siquidem id verbis tantùm ponit remunerationem, & præmium; re autem ipsâ titulum vacuum absque ulla utilitate, & fructu, ut patet ex supra dictis tract. 2. ergo si Baptismus præteritus utilis est, & ponitur simpliciter causare gratiam, & remissionem peccatorum, aliquid debet conferre ultra id, quod sine ipso haberetur.

373. Probatur secundò, quia aut Sacramentum præteritum habet vim ad causandam suam gratiam diversam, quam diversam antea causaret, nisi poneretur obex; aut non: Si hoc secundum; ergo neque cum contritione illam causabit, sed sola contritio illam ponet; siquidem non dicitur dari duplici titulo id, ad quod singuli non habent vim, ut illud producant, & causent: Si primum, ut reverà habet; ergo non debet illa gratia, quæ confertur, esse eadem, darique ex duplici titulo, nempe titulo Sacramenti, & contritionis; siquidem Deus, stante duplici titulo ad gratiam, nunquam dat utrique eandem gratiam, sed diversam; sic enim meritis diversis dat diversa præmia: duobus Sacramentis duplicem gratiam diversam: Sacramento præteriti cum contritione diversas gratias, sicque in aliis; ergo idem dicendum in nostro casu.

374. Confirmatur primò, quia tam applicantur merita Christi per Sacramentum præteritum ad suum effectum causandum, quàm per alia Sacramenta præsentia; sed in his non applicat Christus sua merita ad eundem effectum novo titulo causandum, sed diversum; ergo neque sic in illo applicabit sua merita; alioqui quale præmium meritorum Christi esset dare nobis solùm ex novo titulo id, quod jam aliunde nobis ex lege Dei debitum erat? Secundò, quia ex eo, quod absolutio sacramentalis conferat gratiam, & remissionem peccatorum, colligimus majorem gratiam dari per absolutionem simul & contritionem, quàm per hanc solùm sine illâ; ergo etiã ex eo, quod Sacramentum causet gratiam, benè sequitur, majorem causari, dum reviviscit per contritionem, quàm per solam ipsam contritionem, si Sacramentum ipsum non revivisceret.

375. Confirmatur tertio, quia si obex tollatur per attritionem, ut supra diximus fieri posse in Baptismo, Baptismus se solo causat totam illam gratiam; siquidem attritio non habet virtutem ad justificandum se sola, neque tunc est pars Sacramenti, sed mera dispositio ad illius effectum; ergo Baptismus præteritus adhuc habet vim causandi gratiam diversam supra gratiam omnium aliorum actuum subsequenter; ergo licet subsequatur contritio auferens obicem, adhuc Baptismus retinebit eandem vim causandi se solo aliquam gratiam supra illam, quæ correspondet ipsi contritioni.

376. Probatur tertio, quia juxta probabiliorem, & magis piam sententiam de quâ supra à num. 165. & d. 1. à n. 6. & à num. 20. gratia per Baptismum semel comparata (idemque de gratia comparata per alia Sacramenta,) etiã si per peccatum mortale amittatur, iterùm per pœnitentiam recuperatur; ergo eadem gratia Baptismalis, quæ danda esset homini non ficto, dabitur recedente fictione, cum sit